



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem  
Disputationes in Capita diuisas

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1621**

Dispvt. XXI. An Deus sit corpus, vel materiam habeat, & formam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Tex. 12. & 14. & 15. tome 2.

citur i. de Anima: sed huiusmodi attribuantur Deo in Scriptura; dicitur enim in Psalm. Iratus furore Dominus in populum suum: Ergo Deus ex materia, & forma est compositus.

3. Præterea, Materia est principium indiuiduationis, sed Deus videtur esse indiuiduum; non enim de multis prædicatur: ergo est compositus ex materia & forma.

Sed contra, omne compositum ex materia, & forma est corpus, quantitas enim dimensiuæ est, quæ primo inhæret materiæ, sed Deus non est corpus, vt ostensum est, ergo Deus non est compositus ex materia, & forma.

Art. præced.

Respondeo dicendum, quod impossibile est in Deo esse materiam.

Primo quidem, quia materia est id, quod est in potentia: ostensum est autem, quod Deus est purus actus non habens aliquid de potentialitate, vnde impossibile est, quod Deus sit compositus ex materia, & forma.

Qu. 2. art. 3.

Secundo, quia omne compositum ex materia, & forma est perfectum: & bonum per suam formam, vnde oportet quod sit bonum per participationem secundum quod materia participat formam. Primum autem, quod est bonum, & optimum, quod Deus est, non est bonum per participationem: Quia bonum per essentiam prius est bono per participationem: vnde impossibile est quod Deus sit compositus ex materia & forma.

Tertio, quia vnumquodque agens agit per suam formam: Vnde secundum quod aliquid se habet ad suam formam, sic de habet ad hoc quod sit agens: quod igitur primum est, & per se agens, oportet quod sit primo, & per se forma. Deus autem est primum agens, cum sit prima causa efficiens, vt ostensum est. Est igitur per essentiam suam forma, & non compositus ex materia, & forma.

q. præced. art. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod anima attribuitur Deo per similitudinem actus: quod enim volumus aliquid nobis, ex anima nostra est: vnde illud dicitur esse placitum animæ Dei, quod est placitum voluntati ipsius.

Ad secundum dicendum, quod ira, & huiusmodi attribuantur Deo secundum similitudinem effectus: quia enim proprium est irati punire, eius ira punitio metaphorice vocatur.

Ad tertium dicendum, quod formæ, quæ sunt receptibiles in materia, indiuiduantur per materiam, quæ non potest

esse in alio, cum sit primum subiectum substantiæ: forma vero, quantum est de se, nisi aliquid aliud impediatur, recipi potest à pluribus. Sed illa forma, quæ non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens, ex hoc ipso indiuiduatur, quod non potest recipi in alio, & huiusmodi forma est Deus: vnde non sequitur, quod habeat materiam.

**C**onclusio est: Non potest in Deo esse talis compositio. Probatu tribus rationibus, ex quibus vnam afferemus sequenti disp. in confirmationem doctrinæ Catholicæ. Quoniam vero materia huius articuli nihil peculiare habet, quod ad Theologum spectet præter id, quod commune est cum doctrina præcedentis, ideo sub vna disputatione vtriusque materiam complectemur.

DISPVATIO XXI.

An Deus sit corpus, vel materiam habeat, & formam.

Varij errores, cap. 1.

Catholica veritas Scripturæ & Patrum auctoritate firmata, cap. 2.

Rationes eiusdem sententia, cap. 3.

CAPVT I.

Varij errores.

**T**anta est humani ingenij imbecillitas, & morum peruerfitas, vt, si lumine diuinæ gratiæ non præparetur à Domino, non tantum circa ea, quæ sola reuelatione supernaturali constant, sed etiam circa ea quæ naturalis rationi consentanea sunt, turpissime labatur. Ideoque supra disp. 1. c. 2. notavi, sacram doctrinam necessariam esse non solum ad mysteria supernaturalia, sed etiam ad naturales veritates sine errore intelligendas. Sicut ergo non defuerunt, qui in profundum malorum prolapsi, Deum negarent, quæ omnium veritatum notissima est, ita mirum esse non debet, fuisse aliquos adeo stolidos hæreticos, qui Deum corporeum esse affirmarent. Inter Ethnicos autem philosophos, vt refert Damascen. lib. de hæresibus, huius erroris auctores primi Stoici fuerunt. Dicebant enim corpus esse omnia, atque Deum esse hunc mundum, qui sensu percipitur. In qua sententia fuisse Thaletam, narrat Euseb. lib. 4. de præparatione Euang. c. 6. Sed Epiphanius hæresi 5. affirmat, Stoicos docuisse Deum esse animam mundi, id quod Damascenus non omnibus sed quibusdam illorum tribuit. Nihilominus docere poterunt ipsum esse corporeum, vt constabit ex artic. 8. huius quæst. sicut docuit Democritus quem in eo articulo referemus.

Damascen. Stoici primi huius erroris auctores

Eusebius Thales, Epiphanius

Inter Christianos vero huius erroris magister recte Epiphano hæresi. 70. fuit tempore Arii, Andæus, vel Andæus monachus, vir antea religiosus, & pius, qui Christiana libertate, & zelo religionis non solum sui ordinis religiosos, & presbyteros, sed Episcopos etiam male factis acriter increpabat. Postea tamen occasione quadam, quam narrat Epiphanius, ab Ecclesia discedens, docere cepit illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, impletum fuisse secundum

Andæus vel Andæus Monachus

Genes. 1.

secundum corpus, in quo dicebat hominem Deo assimilari, ac proinde Deo hominis corpus, & membra tribuebat. Hunc errorem eidem Audæo ascribit Theodoretus lib. 4. heretic. fabular. c. 13. & lib. 4. hist. cap. 19. Eum tamen refert sub Valentiniano, & Valente Imperatoribus, cui consentit etiam Tripartita lib. 7. cap. 11. Nicephorus autem lib. 11. cap. 14. sub Theodosio juniore, recentiores vero inter se variant. Sed Epiphanius sententia in hac re apud me maioris momenti est: quem secutus Damascenus post hæresim Arrii statim ponit scitiam Audianorum. Sectatores huius erroris dicti sunt Audiani, siue Odiani, quos eluxato vocabulo Augustinus vocat Vadianos: alij vero Anthropomorphytas græca voce composita ab ἀνθρωπος, quod est homo, & μορφή, quod est forma: Quasi Deum instar hominis figurantes. De his Damascenus lib. de hæresibus, inquit. *Audianorum schisma, & dissensio est, non hæresis.* Id quod August. etiam lib. de hæres. cap. 50. ex Epiphano sibi videtur colligere. Verum cum illud Genl. 1. *Faciamus hominem, &c.* Secundum corpus intelligerent, ex quo necessario sequebatur Deum esse corporatum, non solum schismatici, sed etiam hæretici censendi sunt. Quare mirum est, cur illos schismaticos tantum appelleret Damascenus, non hæreticos; cum dicat illud Gen. 1. durissime ab eis explicari. Epiphanius verò, cum ipsos schismaticos appellat, non negat hæreticos etiam fuisse: nam & diuisi sunt ab Ecclesiæ gremio, & obedientia, & errorem prædictum docuerunt.

Hunc etiam errorem antea tradidisse Melitonem Episcopum Sardanensem indicant verba Theodor. q. 20. in Gen. post medium, quæ sic habent. *Est autem, ut antea dixi prius discutiendum, vbi constat illud ad imaginem, in corpore, an in anima, & in primis videamus, quibus videntur, qui prius asserunt, è quorum numero est Meliton, qui scripta reliquit, quibus asserit, Deum corporeum esse, &c.*

Verum, ut optime aduertit Sixtus Senen. lib. 5. Bibliot. Sanctæ annot. 18. credible non est, talem virum in eo vniquam errorem fuisse. Nam Eusebius lib. 5. hist. c. 23. alias 24. præclaram huius viri facit mentionem: refert enim Polycratem, qui Præfæs fuit in quodam Concilio Afsiæ, vbi de die, quo pascha esset celebrandum, disputatum fuit, ad Pontificem Romanum Victorem scripsisse, se adhuc velle retinere suorum antiquam traditionem, inter quos Melitonem commemorans, ita inquit: *Quid porro Beatum Papyrium, & Melitonem Eunuchum recenseam, qui Spiritus sancti instinctu afflatus totum vitæ suæ tempus pie, sancteque exegit, qui Sardis conditus est?* Hic textus Eusebii in antiqua translatione satis corruptus est: translulit enim Interpres non Beatum Papyrium, sed Papyrium, & Macharium, & Melitonem propter regnum Dei, & Eunuchum: vbi quatuor ista nomina, tanquam propria Interpres acceperit; cum reuera duo illa Macharium, & Eunuchum sint epitheta aliorum duorum, μακάριος enim non est substantiuum, sed adiectiuum, quod Latine beatum significat, quod cum interdum sit nomen proprium, & substantiuum, id fuit causa interpreti huius erroris.

Idem etiam Euseb. lib. 4. c. 25. & Hieronymus in libris de Scripturis Ecclesiasticis hunc Melitonem mirifice laudant, & inter alia ipsius opera recensent librum τῶν ἐπισημοῦν θεῶν, hoc est, de Deo corporato, eiusmodi tamen errorem illi non

tribuunt: imo addit Hieronymus testimonium Tertulliani in libris aduersus Ecclesiã pro Montano, qui dicebat hunc Melitonem à plerisque Prophetam putari.

Præterea idem Theodoretus loco allegato de Audianorum errore tractans nullam de Melitone mentionem facit: & quod caput est, optimeque Sixtus notauit, verba Theodoreti in illa q. 20. in Genesim, in Græcis exemplaribus emendatis longe aliter habent, quam quæ in coicibus Latinis translata, & paulo antea recitata sunt: scribit enim ἐν τῷ αὐτῷ καὶ Μελίτα ὑπογράμματα καταλόγου, περὶ τῶν ἐπισημοῦν θεῶν, hoc est, *Quorum sunt, quæ Meliton scripta reliquit de eo, quod est, Deum corporatum esse:* Hic enim scripsit librum de Deo corporato, vt ex Eusebio, & Hieronymo proxime reulimus. Theodoretus igitur non dicit Melitonem id docuisse, sed alios, quorum sententiam ipse scriptam reliquit, & impugnavit. Quare errauit interpret Theodoreti cum conuertit, *Quibus asserit Deum corporeum esse:* Hæc enim verba ab ipso Melitonem referri videntur, ac propterea prædictus error ipsi falso adscribitur.

In eodem errore fuisse Tertullianum censet Augustinus lib. 10. de Genes. ad literam c. 25. tamen cum excuset lib. de hæresib. c. 86. quod Deum, corpus esse, dixerit, non tale, cuius partes alia maiores: alia maiores valeant, vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quæ proprie dicimus corpora: sed potuit, inquit August. propterea Deum corpus dicere, quia non est nihil, non est inanita: hoc modo corpus non pro eo, quod extensionem habet, sed pro veritate, quæ vmbra opponitur vsurari potest. In quem sensum Paulus ad Colossens. 1. dixit in Christo habitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter, hoc est, non figurare, sed re ipsa. Verum vbi id docuerit Tertullianus Augustinus non refert, sed cap. illo 25. solum aduertit Tertullianum sibi contraria docuisse, si Deum corpus esse putauit: nam in libro de Anima c. 8. in fine dixit, omne corporeum passibile esse, & paulo superius, Deum esse corpus. Credibile autem non est, inquit Augustinus, Tertullianum sensibile Deum passibilem esse.

Ego tamen in eo libro inuenire non potui, vbi dicat Deum esse corporeum, nec Augustinus, vel recentiores, qui hunc errorem tribuunt Tertulliano, aliquem alium locum allegant. Id autem ita videtur docuisse lib. 2. aduersus Marcionem c. 16. vt mea sententia nullo modo exulari possit: nam postquam dixit, in Deo non esse membra, tamen si eorum nomina de ipso dicantur, subdit rationem his verbis: *Quanta erit diuersitas diuini corporis, & humani, sub eisdem nominibus membrorum, tanta erit diuersitas, & animi diuini, & humani differentia, sub eisdem licet vocabulis sensuum:* vbi cum plane asserat Deum corpore, & animo constare, solum contendit, membra corporis humani in Deo non reperiri: quod corpus ipsius alterius est omnino rationis, & naturæ.

Possent aliquis nobis obijcere eundem Tertullianum li. de Trinitate c. 6. & 7. vbi fufius ostendit, Deum esse spiritualem, & vbi que, atque meta-horice dumtaxat ei membra conuenire: verum liber iste non est Tertulliani, sed Nouatiani, vt optime probat Pamelius in principio illius: ibi autem probat Nouatianus ideo in Scriptura Deo membra attribui, quod per hæc sensibilia quacumque ratione

Theodoret.  
Audæo Pr.  
hæres. de  
na heret.  
fabular.  
Tripart.  
2  
Nicephor.  
Damascan.  
Audianor.  
Cilicior.  
Vadianor.  
Anthropo-  
morphita.

Damascan.  
Augustin.  
Epiphanius  
Genes. 1.

Meliton.  
Theodor.

Sixtus Senen.  
Vindicat  
ad hoc errorem  
Melitonem.  
Euseb.  
Polycratem  
videt.

Emendatur  
textus Euse-  
bii.

Eusebii.  
Hieron.  
Melitonem ab  
Hieronymo  
emendatur.

Tertullianus.

Theodoret.

4  
Six. Senen.

Theodoretus  
verba quo-  
modo legē-  
da.

August.  
Tertullianus  
lapsus est in  
hunc errorem

5

1. ad Coloss.

Apertus lo-  
cus.

Nouatian.  
Pamelius.

6 tione ipsum concipiamus, cum tamen exacte exprimere ipsum non possimus. Imo addit, si Spiritum Deum dicamus, non satis esse, quia omnis spiritus creatura est: in quo Nouatianum errasse putat Pamelius annotatione 33. quod Spiritum sanctum creaturam esse putauerit. At Nouatianus non certe de tertia persona Trinitatis, sed de spiritu pro aere, aut vento locutus est: ideoque optime dixit ad exprimendam Dei subtilitatem, non satis esse, si ipsum Spiritum appellemus, nomine ex creatis ad diuina translato, nullum enim nomen à rebus creatis desumptum exprimere valet, quid sit Deus.

CAPVT II.

Catholica veritas Scripturae, & Patrum auctoritate firmata.

Catholica doctrina, quæ Deum esse omnino incorporeum, & spirituales affirmat, ita fuit semper in Ecclesia Dei indubitata, atque communis sensu, & traditione fidelium probata, vt alicuius Concilij expressa definitione ad sui confirmationem opus modo non habeat. Est autem expressa in Scriptura ad Roman. 1. vbi dicitur, *Inuisibilia Dei, &c. Et r. Timot. 1. Regi autem seculorum immortalis, & inuisibilis, &c.* & Ioan. 4. *Deus spiritus est.* Ex quibus locis aliqui putant, non satis probari, nisi communis sententia Patrum, & Ecclesiae in eum sensum prædictos locos interpretaretur: nam & Angeli multorum Patrum sententia sunt corporati, dicuntur tamen ab eis inuisibiles, & spirituales, quod subtiliora quædam corpora habeant, quæ spiritui, hoc est, vento assimilentur, & sub aspectum non cadant. Infra tamen disp. 178. c. 3. manifeste ostendimus, Angelos esse incorporeos, idque ex phrasi Scripturæ optimè deduci. Potiori igitur ratione idem de Deo ex eadem Scriptura colligi, censendum est.

Quocirca Patres omnes commemorati Audianorum sententiã hereticam esse merito putarunt: contra quam ex recentioribus disputat Alphonsus de Castro verbo *Deus*, hæresi 2. atq; ex Dei immensitate, quam Scriptura tradit, probat ipsum non esse corporeum: aut enim esset corpus infinitum aut infinitum: infinitum corpus supra hoc vniuersum fateri, sine fundamento est, & vt multis placet impossibile: finitum autem esse nequit, nam aliquo loco natura sua concluderetur, contra id, quod passim clamat Scriptura, Dei maiestatem nec cælo, nec toto vniuerso contineri: superest ergo spiritum esse, qui in toto mundo, & in quousque illius parte ita sit, vt natura sua, nec circumscribatur, nec definiatur vniuerso: quia in alijs, si plura essent, existeret posset, vt disp. 29. videbimus.

Si autem pro Audianis aliquod argumentum quidquam valeret, illud esset, quod in Scriptura homo dicitur factus ad imaginem, & similitudinem Dei, & Deo plura membra tribuuntur, vt oculi, manus, &c. Hoc tamen ridiculum est, primum enim omnes Patres interpretantur imaginem, & similitudinem Dei in homine secundum animam; id quod late proficiuntur Epiphanius loco citato, & Theodoretus quæst. illa 20. in Genes. alterum vero; si vim aliquantulum haberet, probaret etiam Deum esse leonem, & habere alas, imo vero esse monstrum ex varijs animantibus compactum, cum varia ei membra non tantum ho-

Ad Rom. 1. 1. ad Tim. 1. Ioan. 4.

Ex immensitate Deum esse spiritum probat Alphonsus de Castro.

Obiectio pro Audianis.

Solutio. Epiphanius, Theodoretus.

minis, sed aliorum quoque animantium Scriptura tribuat. Ea igitur omnia per methaphoram intelligenda esse optime docent Nouatianus lib. de Trinit. cap. 6. & 7. Augustin. lib. de vera, & falsa religione. cap. 50. & epistol. 112. post medium, & in lib. de Essentia diuinitatis aliquantum à principio, Hieronymus, & Anselmus in opuscul. de hac re Gregor. lib. 14. Moralium cap. 22. in illud, *Orabam filios veri mei.* Damascenus 1. de fide cap. 14. & 15. Isidorus lib. 6. Etymolog. extat quoque in 9. tom. Hieronymi epistola quædam in ordine 15. quæ explicat singula, quæ Deo in Scriptura tribuuntur. Idem argumentum tractat Sanctes Pagninus in Hælogæ ad sacras literas cap. 47.

CAPVT III.

Rationes eiusdem sententiae.

Tamet si philosophorum communis sententia semper fuerit, verum Deum immaterialem, & incorporeum esse: Nihilominus ratione philosophica hoc ipsum demonstrare decreuit, simulque ostendere, Deum non esse compositum, quod S. Thomas in a. 2. probare contendit. Omnis veritas multis alijs rationibus, hac vnica suaderi potest. Si Deus est corporeus, vel est compositus, vel omnino simplex; neutro modo potest esse: ergo debet esse spiritualis, & incorporeus. Primum, si esset compositus, necessario duabus partibus, vt minimum constaret, quarum altera esset potentia, altera vero actus, alioqui non esset vnus simpliciter, quod Deo repugnat: Atqui non potest esse in Deo vna pars potentia, altera vero actus; pars enim in potentia non esset res perfectissima, quæ esse posset, neque esset Deus, vt perspicue apparet: ergo neque à se haberet esse, neque vnionem cum actu, sed ab alio perfectioni, quod vel esset Deus, vel aliquid sub Deo, haberet esse, & vnionem cum actu: ergo præter illam partem, quæ esset potentia, esset aliquid, quod esset Deus à quo ipsa penderet; ac proinde de essentia Dei esse non posset.

At dicat aliquis, illam quidem ab alio pendere perfectioni, scilicet à toto composito, cuius est pars: quocirca non sequitur, præter eam esse Deum, ad cuius constitutionem, & compositionem ipsa non requiratur. Verum hæc obiectio facile rejicitur, nam partes componentes totum non possunt in suo esse, aut vnione, quæ ad compositionem conueniunt, à toto ipso pendere: sunt enim natura priores ipso composito: prius autem à posteriori non pendet. Quare si pars illa ab aliquo, quod est Deus, pendet ad compositionem illius pertinere non potest: qua ratione Antisthorensis lib. 1. Sum. c. 1. par. 2. colligit, si Deus esset compositus, aliquid esset ipso prius. Nazianzenus autem Oratione 34. quæ est secunda de Theologia non longe à principio, compositionem in Deo non esse probat his verbis: *Compositio quippe pugnae initium est, pugna autem dissidij dissidium solutionis, solutio porro nullo modo in Deum, ac primam illam naturam cadit.* Imò inde colligit etiam Nazianzenus, Deum non esse corpus: sentire namque videtur omne corpus compositum esse, & corruptionis capax, quod sane licet demonstrari non possit, mihi tamen probabilissimus est: atque, si de corruptione loquamur, Scripturæ, & Patrum doctrinæ admodum consentaneum videtur.

Cæterum

8

Hieronymus, Anselmus, Gregorius, Damascenus, Isidorus, Pagninus.

S. Thomas.

Ratio potissima.

9

Obiectio.

Explicatur.

Antisthorensis.

Nazianz.

Palæstrum Nazianzenus testimonium.

10

Ceterum cum sint nonnulli, qui putent esse aliquid corpus omnino simplex, aia ratione monstrandum est, Deum non esse corpus, hoc modo. Aut enim esset omnino sine sensu, & cognitione, aut cognoscens: prius dici non potest, esset enim corpus multo ignobilius plenisque rebus, ac proinde Deus non esset: posterius etiam ad Dei perfectionem non sufficit: nam sic cognitio esset in corpore, non esset tota in toto, & tota in quantis parte: quocirca corpus illud non æque perfecte sentiret ex omni parte: indigeret enim sensu exteriori, quo perciperet sensibilia, quæ non possent æque perfecte applicari. Ut cognoscerentur: quare deheret in rerum gubernatione, & conseruatione. Tum etiam cum esset virtus, illa cognitionis in corpore, non posset non fatigari, & operationem aliquando remittere; id quod tantæ imperfectionis est, vt Deo conuenire non possit.

Si vero quis respondeat, corpus illud esse ita perfectum, vt expers sit laboris, & lassitudinis, hoc sane sicut gratis dicitur, & sine fundamento, sic etiam absque alio reicitur. Quamuis enim sit genus aliquod corporis, lassitudinis minime capax, quale est cælum, viuens tamē, & cognoscens nullum esse potest huiusmodi, nisi, vt dixi, gratis, & sine fundamento aliquis huiusmodi corpus comminiscatur. Philosophica igitur ratio melius præscribit fatigationem corpori ita esse propriam vt alteri conuenire nequeat: materia item, & corpore vacare omne illud, quod cogitatione, & discursu non fatigatur.

De principio vero indiuiduationis de quo in hoc articulo tractari solet circa solutionem tertij, omnissis plurimis opinionibus infra disp. 181. non nihil dicemus.

ARTICVLVS III.

*Vitam sit idem Deus, quod sua essentia, vel natura.*

**A**d tertium sic proceditur. Videtur quod non sit idem Deus quod sua essentia, vel natura. Nihil enim est in se ipso, sed essentia, vel natura Dei, quæ est Deitas, dicitur esse in Deo: ergo videtur quod Deus non sit idem quod sua essentia, vel natura.

2. Præterea, effectus assimilatur suæ causæ: quia omne agens agit sibi simile; sed in rebus creatis non est idem suppositum quod sua natura: non enim idem est homo quod sua humanitas, ergo nec Deus idem quod quod sua Deitas.

Contra, de Deo dicitur quod est vita, & non solum quod est viuens, vt patet Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Sicut autem se habet vita ad viuentem; ita Deitas ad Deū: ergo Deus est ipsa Deitas.

Respondeo dicendum, quod Deus est idem quod sua essentia, vel natura. Ad cuius intellectum sciendum est, quod in rebus compositis ex materia, & forma necesse est quod differant natura vel essentia, & suppositum: quia essentia, vel natura comprehendit in se illa tantum, quæ cadunt in definitione speciei: sicut

humanitas comprehendit in se ea, quæ cadunt in definitione hominis: his enim homo est homo, & hoc significat humanitas; hoc scilicet, quo homo est homo. Sed materia indiuidualis cum accidentibus, omnibus indiuiduantibus ipsam, non cadit in definitione speciei: non enim cadunt in definitione hominis hæc carnes, & hæc ossa, aut albedo, vel nigredo, vel aliquid huiusmodi: vnde hæc carnes, & hæc ossa, & accidentia designantia hanc materiam non concluduntur in humanitate, & tamen in eo quod est homo includuntur: vnde id, quod est homo, habet in se aliquid quod non habet humanitas, & propter hoc non est totaliter idem homo, & humanitas, sed humanitas significatur vt pars formalis hominis: quia principia deñnientia habent se formaliter respectu materiæ indiuiduantis. In his igitur, quæ non sunt composita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuidualem, id est, per hanc materiam, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur, oportet quod ipsæ formæ sint supposita subsistentia: vnde in eis non differt suppositum, & natura. Et sic, cum Deus non sit compositus ex materia, & forma, vt ostensum est, oportet quod Deus sit sua Deitas, sua vita, & quicquid aliud sic de Deo prædicatur.

Ad primum ergo dicendum, quod de rebus simplicibus loqui non possumus, nisi per modum compositorum, à quibus cognitionem accipimus, & ideo de Deo loquentes vtimur nominibus concretis, vt significemus eius subsistentiam: quia apud nos non subsistunt nisi composita, & vtimur nominibus abstractis, vt significemus eius simplicitatem. Quod ergo dicitur Deitas vel vita, vel aliquid huiusmodi esse in Deo, referendum est ad diuersitatem, quæ est in acceptione intellectus nostri, & non ad aliquam diuersitatem rei.

Ad secundum dicendum, quod effectus Dei imitantur ipsum non perfecte, sed secundum quod possunt, & hoc ad defectum imitationis pertinet, quod id quod est simplex, & vnum non potest representari nisi per multa, & sic accidit in eis compositio, ex qua prouenit, quod in eis non est idem suppositum quod natura.

*Explicatio articali.*

**C**onclusio est: Deus idem est quod sua essentia vel natura. Pro cuius explicatione, & doctrina totius articuli notandum est, nomine concreto, Deus, Thomam intelligere aut suppositum diuinum, aut aliquid, quod ipsum includit: ex eo vero colligit, Deum esse suam essentiam, hoc est, deitatem ipsam, quod suppositum in diuinis ab eo non differt.

Deum non esse corpus simplex.

II

16  
2. contra 2.  
ad 2. 45.  
Et 2. 10. 3.  
cap. 10.

Art. præc.

stinguatur. Idem omnino censet in rebus spiritua-  
libus creatis: in compositis vero ex materia, &  
forma, non item. In qua doctrina multa erant di-  
sputatione digna, quorum aliqua tamen philosophica,  
quale est illud de distinctione naturæ à sup-  
posito, ita sunt necessaria Theologo, & philoso-  
phis antiquis vsque adeo ignota fuerunt, vt fas  
non esset præmittere, nisi in locum commodio-  
rem remitterentur. De concreto autem, *Deus*,  
vtrum directe significet solum naturam, conno-  
tet vero suppositum, an suppositum ipsum dire-  
cte etiam significet, disputabitur infra disput. 115.  
Id quod quamuis ex regulis Logicæ maxime pen-  
deat, optime intelligere Theologo necessarium  
est, vt caste ac pure de Trinitate loquatur. Secun-  
do, cum supposita in diuinis relatione, tanquam  
vltimo complemento, constituentur, vt disp. 159.  
videbimus, manifestum fiet, an suppositum à na-  
tura in diuinis aliquo modo differat ex iis, quæ  
dicemus disp. 120. Tertio, distinctionem supposi-  
ti creati à natura, & essentia ipsius, tam in compo-  
sitis ex materia, quam in spiritualibus optime  
nosse, superuacaneum Theologo non est: hinc e-  
nim multa pendent circa doctrinam diuinæ in-  
carnationis, quæ 3. p. tractanda sunt, & ideo com-  
modus de hac re tractabitur ibidem q. 4. art. 2.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Deo sit idem essentia, & esse.

**A**D quartum sic proceditur. Vide-  
tur, quod in Deo non sit idem ef-  
sentia, & esse. Si enim hoc sit,  
tunc ad esse diuinum nihil additur: sed  
esse, cui nulla sit additio, est esse commu-  
ne, quod de omnibus prædicatur: sequi-  
tur ergo quod Deus sit ens commune  
prædicabile de omnibus: hoc autem est  
falsum, secundum illud Sap. 14. Incom-  
municabile nomen lignis, & lapidibus  
imposuerunt, ergo esse Dei non est essentia.

2. Præterea, De Deo scire possumus an  
sit, vt supradictum est, non autem possu-  
mus scire quid sit, ergo non est idem esse  
Dei, & quod quid est eius, siue quidditas  
vel natura.

Sed contra est, quod Hilar. dicit in 6. de  
Trinit. esse non est accidens in Deo, sed  
subsistens veritas, id ergo, quod subsistit  
in Deo, est suum esse.

Respondeo dicendum, quod Deus non  
solum est sua essentia, vt ostensum est, sed  
etiam suum esse, quod quidem multipli-  
citer ostendi potest.

Primo quidem, quia quicquid est in a-  
liquo quod est præter essentiam eius, o-  
portet esse causatum, vel à principiis ef-  
sentia, sicut accidentia propria conse-  
quentia speciem, vt risibile consequitur  
hominem, & causatur ex principiis essen-  
tialibus speciei, vel ab aliquo exteriori,  
sicut calor in aqua causatur ab igne. Si  
igitur ipsum esse rei sit aliud ab eius essen-  
tia, necesse est quod esse illius rei, vel sit

causatum ab aliquo exteriori, vel à prin-  
cipiis essentialibus eiusdem rei. Impossi-  
bile est autem quod esse sit causatum tan-  
tum ex principiis essentialibus rei: quia  
nulla res sufficit quod sit sibi causa essen-  
di, si habeat esse causatum. Oportet ergo  
quod illud, cuius esse est aliud ab essentia  
sua, habeat esse causatum ab alio: hoc au-  
tem non potest dici de Deo: quia Deum  
dicimus esse primam causam efficientem:  
impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud  
esse, & aliud eius essentia.

Secundo, quia esse, est actualitas omnis  
formæ, vel naturæ: non enim bonitas, vel  
humanitas significatur in actu, nisi prout  
significamus eam esse: oportet igitur  
quod ipsum esse comparetur ad essentiam,  
quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad poten-  
tiam: cum igitur in Deo nihil sit poten-  
tiale, vt ostensum est supra: sequitur quod  
non sit aliud in eo essentia, quam suum  
esse: sua igitur essentia est suum esse.

Tertio, quia sicut illud, quod habet  
ignem, & non est ignis, est ignitum per  
participationem: ita illud quod habet esse,  
& non est esse, est ens per participationem.  
Deus autem est sua essentia, vt ostensum  
est: si igitur non sit suum esse, erit ens per  
participationem, & non per essentiam:  
non ergo erit primum ens, quod absurdum  
est dicere. Est igitur Deus suum esse,  
& non solum sua essentia.

Ad primum ergo dicendum, quod ali-  
quid, cui non sit additio, potest intelligi  
dupliciter: vno modo, vt de ratione eius  
sit, quod non fiat ei additio: sicut de ratio-  
ne animalis irrationalis est, vt sit sine ratio-  
ne. Alio modo intelligitur aliquid, cui  
non sit additio: quia non est de ratione  
eius quod sibi fiat additio. Sicut animal  
commune est sine ratione: quia non est  
de ratione animalis communis, vt habeat  
rationem, sed nec de ratione eius est, vt  
careat ratione. Primo igitur modo esse  
sine additione, est esse diuinum. Secun-  
do modo esse sine additione, est esse com-  
mune.

Ad secundum dicendum, quod esse du-  
pliciter dicitur: vno modo significat ac-  
tum essendi: alio modo significat com-  
positionem propositionis, quam anima  
adinuenit coniungens prædicatum sub-  
iecto. Primo igitur modo accipiendo esse,  
non possumus scire esse Dei, sicut nec eius  
essentiam, sed solum secundo modo. Sci-  
mus enim quod hæc propositio, quam  
formamus de Deo, cum dicimus, Deus  
est, vera est: & hoc scimus ex eius effecti-  
bus, vt supra dictum est.

12.

17  
1. d. 8. q. 1. a. 1.  
Et eod. ca. 6.  
2. 2. q. 25.  
Et 1. 2. c. 52.  
Et lib. 4. c. 11.  
100. 4. Et po.  
q. 7. art. 2. q.  
quo. 3. q. 3.  
Et opus. 3.  
c. 11. q. 109.  
12.

q. 2. art. 2.

lib. 6. in fo.  
2. d. princip.  
lib. Art. grat.

q. 2. art. 3.

art. 3. huius  
quæst.

q. 2. art. 2.

Con-

Conclusio est: Deus non tantum est sua essentia, sed suum esse. Duo solent in hoc articulo in quaestione reuocari, quæ licet principiis philosophiæ ex parte nitantur, Theologo maxime necessaria sunt: vnum est, An existentia Dei ab eius essentia, & supposito distinguatur realiter, vel ex natura rei: de hoc tamen, sicut de distinctione eorum in vniuersum, quæ sunt formaliter in Deo, differens disputat. 116. & sequentibus. Alterum est, an existentia cuiusque rei creatæ ab essentia distinguatur, de quo 3. p. quæst. 17. artic. 2. & infra in hac 1. p. disp. 182. non nihil dicemus: nam ad ea, quæ de Deo nunc dicenda sunt, nihil omnino conducere potest.

ARTICVLVS V.

Vtrum Deus sit in genere aliquo.

18  
1. Metaph. q. 4.  
2. Et dist. 29.  
q. 4. Et 1.  
contra c. 17.  
c. 25. Et per.  
q. 73. Et op.  
3. 12. Et op.  
4. 2. c. 5.

**A**d quintum sic proceditur. Videtur quod Deus sit in genere aliquo. Substantia enim est ens per se subsistens: hoc autem maxime conuenit Deo: ergo Deus est in genere substantiæ. 2. Præterea, Vnumquodque mensuratur per aliquid sui generis: sicut longitudines, per longitudinem, & numeri per numerum; sed Deus est mensura omnium substantiarum, vt patet per commentatorem 10. Metaph. ergo Deus est in genere substantiæ.

Sed contra. Genus est prius secundum intellectum eo, quod in genere continetur: sed nihil est prius Deo nec secundum rem, nec secundum intellectum: ergo Deus non est in aliquo genere.

Respondeo dicendum, quod aliquid est in genere dupliciter: vno modo simpliciter, & proprie, sicut species, quæ sub genere continentur. Alio modo per reductionem, sicut principia, & priuationes, sicut punctus, & vnitas reducuntur ad genus quantitatis, sicut principia: cæcitas autem, & omnis priuatio reducuntur ad genus sui habitus.

Neutro autem modo Deus est in genere.

Quod enim non possit esse species alicuius generis, tripliciter ostendi potest.

Primo quidem, quia species constituitur ex genere, & differentia: semper autem id, à quo sumitur differentia constituens speciem, se habet ad illud, vnde sumitur genus, sicut actus ad potentiam: animal enim sumitur à natura sensitua per modum concretionis; hoc enim dicitur animal, quod naturam sensitivam habet: rationale vero sumitur à natura intellectiua, quia rationale est, quod naturam intellectiuam habet: intellectiuum autem comparatur ad sensitiuum, sicut actus ad potentiam, & similiter manifestum est in aliis: vnde cum in Deo non

adiungatur potentia actui, impossibile est quod sit in genere tanquam species.

Secundo, quia cum esse Dei sit eius essentia, vt ostensum est: si Deus esset in aliquo genere, oporteret quod genus eius esset ens: nam genus significat essentiam rei, cum prædicetur in eo, quod quid est. Ostendit autem Philosophus in 3. Metaph. quod ens non potest esse genus alicuius: omne enim genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis: nulla tamé differentia potest inueniri, quæ esset extra ens, quia non ens non potest esse differentia: vnde relinquitur, quod Deus non sit in genere.

Art. præd.  
3. Metaph. text. 1. c. sum. 3.

Tertio, quia omnia, quæ sunt in genere vno, communicant in quiditate, vel essentia generis, quod prædicatur de eis in eo, quod quid est: differunt autem secundum esse: non enim idem est esse hominis, & equi, nec huius hominis, & illius hominis, & sic oportet quod quæcumque sunt in genere differant in eis esse, & quod quid est, id est, essentia: in Deo autem non differt, vt ostensum est: vnde manifestum est, quod Deus non est in genere sicut species.

Art. præd.

Ex hoc patet, quod non habet genus, neque differentias, neque est definitio ipsius neque demonstratio, nisi per effectum: quia definitio est ex genere & differentia: demonstrationis autem medium est definitio.

Quod autem Deus non sit in genere per reductionem, vt principium, manifestum est ex eo, quod principium quod reducitur in aliquod genus, non se extendit vltra genus illud: sicut punctum non est principium nisi quantitatis continuæ, & vnitas quantitatis discretæ: Deus autem est principium totius esse, vt infra ostendetur: vnde non continetur in aliquo genere, sicut principium.

q. 44. ar. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod substantiæ nomen non significat hoc solum quod est per se esse: quia hoc quod est esse, non potest per se esse genus, vt ostensum est, sed significat essentiam, cui competit sic esse, id est, per se esse: quod tamen esse non est ipsa eius essentia: & sic patet quod Deus non est in genere substantiæ.

In corp. ar.

Ad secundum dicendum, quod obiectio illa procedit, de mensura proportionata: hanc enim oportet esse homogeneam mensurato: Deus autem non est mensura proportionata alicui: dicitur tamen mensura omnium ex eo, quod vnumquodque tantum habet de esse, quantum ei appropinquat.

CON-

**C**onclusio est: *Deus neque directe est in predicamento, neque ad predicamentum potest reduci.* Doctrina huius artic. tamen à logicis disputari solet, non debet videri Theologo aliena: ex ea enim non mediocriter diuinarum perfectionum cognitio pendet. Omisissis vero permultis, quæ de analogia in hoc articulo tradi solent, breuiter id, quod ad Theologum spectat, aliquibus etiam ex Logica petitis expediemus.

DISPUTATIO XXII.

An Deus sit in aliquo genere cum rebus creatis.

*Status controversiæ. cap. 1.*  
*Deum in predicamento collocari Nominales asserunt. c. 2.*  
*Verior sententia sex aliorum rationibus probatur. cap. 3.*  
*Prior ratio efficax præcedentis sententiæ. cap. 4.*  
*Posterior ratio cap. 5.*  
*Ratio præcedens Patrum doctrina confirmatur. cap. 6.*  
*Respondet ad argumentis prioris sententiæ. cap. 7.*

CAPVT I.

Status controversiæ.

**C**um manifestum sit, vnum solum Deum esse, vt quæst. 11. ex professo probandum est, controversia præsens non erit, an Deus in aliquo genere sibi, & aliis Diis communi collocetur: vbi enim pluralitas esse, aut excogitari nequit, non potest intellectus rationem aliquam genericam inuenire, vel prædicamenti seriem ordinari, vt perspicue patet.

Ergo quæstio de genere, aut prædicamento Deo, & creaturis communi, an videlicet Deus sub aliquo huiusmodi possit collocari. Erit autem difficilius, Deum extra omne genus constituere, si supponamus id, quod ego puto verissimum, & inferius disp. 118. cap. 4. compertum erit, nimirum seriem omnem alicuius prædicamenti non esse rerum, neque rationum formalium distinctarum ex natura rei, sed conceptuum ordinationem, ex eo quod in rebus, quas videmus, maiori aut minori inspecta conuenientia per effectus, & alia signa, concipimus rationem aliquam ipsis communem, aliam vero magis communem, vsque ad supremum gradum generis, & conuenientia, quæ sane conuenientia, ex ipsa natura rerum per intellectum desumitur, non quia in rebus sit aliquid re ipsa commune, vel distinctum ex natura rei à singularibus. Hoc vero supposito, facilius videtur Deum sub aliquo genere continere. Quid enim obesse potest, quo minus ratio nostra Deum concipiat cum rebus creatis ex parte conuenire, & aliqua ratione differre? Quod si in aliquo prædicamento debet constitui, non reductiue, vt aiunt, sed directe collocandus est: ea enim solum reducuntur ad prædicamentum, quæ non sunt entia, aut formæ per se subsistentes, sed partes, aut quasi principia, & appendices, qualia sunt punctum, anima, & materia: est igitur præsens difficultas. An Deus directe sub aliquo genere, sicut species constituaatur.

CAPVT II.

Deum in predicamento collocari Nominales asserunt.

**N**on defuerunt ex Scholasticis, qui assererent, Deum directe in prædicamento collocari. Auctores huius sententiæ sunt Robertus Holcot.

*Prædicamentorum series, conceptuum est ordinatio.*

*Dubitandi ratio.*

in 1. q. 6. Gregor. d. 8. q. 3. præsertim in art. 2. Matfilii in 1. q. 12. art. 2. eamque probabiliorē censet Gabriel in 1. d. 8. q. 1. quamuis oppositam sententiam ipse amplectatur, quod patet in Schola Oxoniensi communem fuisse. Eodem modo docent prædicti Doctores, nomina aliqua de Deo, & creaturis vniuoce prædicari: id quod etiam putat Scotus eadem d. 8. & in 1. d. 3. quæst. 7. §. *Quantum ad secundum*: quem nihilominus pro sequenti sententia citabimus. Vt autem ostendant, hoc non repugnare diuinæ simplicitati, supponunt id, quod superius dicebamus, genus, & differentiam non ex natura rei, sed sola nostra consideratione distingui, ac proinde Deo non repugnare in prædicamento esse, atque ex genere, & differentia componi: nulla enim alia videtur esse repugnantia, quo minus Deus in prædicamento collocetur.

Deinde probant auctoritate Augustini, qui lib. 5. de Trinitate cap. 8. 10. & 11. docere videtur, quædam prædicamenta de Deo dici translatiue, & improprie, vt quale, quantum, situs, habitus, & tempus; quædam vero proprie, vt substantia, & relatio: quo fundamento bona pars doctrinæ totius libri nixa videtur. Et eodem cap. 8. postquam dixit, multa prædicamenta de Deo translatione prædicari, subdit hæc verba: *Quod autem ad faciendum attinet, fortassis de solo Deo verissime dicitur. Solum enim Deus facit, & ipse non fit, neque patitur*: quibus docere videtur prædicamentum actionis Deo proprie conuenire.

Accedit etiam Damascenus, qui lib. 1. de fide c. 9. ita Deo tribuit nomina filiationis, & paternitatis, vt non à creatis translata fuerint ad Deum, sed potius contra, ex Deo nobis fuerint communicata. Probat autem ex illo ad Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas in celo, & in terra nominatur*: expressius id docet lib. primarum institution. c. 7. vbi postquam dixit essentiam, quam alij dicunt substantiam, genus esse supremum, subiungit: *Huius autem summi, primique generis species sunt, primum id, quod corpore vacat, & corpus inanimatum: & paucis interiectis: Complectitur enim essentia corpore vacans Deum, Angelum, animam, demonem.*

CAPVT III.

Verior sententia sex aliorum rationibus probatur.

**O**pposita sententia multo probabilior est, quam plures, & maioris auctoritatis Theologi sequuntur, videlicet Deum non posse in prædicamento collocari. Ita docuerunt S. Thomas, Caietanus, & recentiores in hoc artic. Henricus in Summa art. 2. 6. q. 2. Refertur etiam Magister in 1. disp. 8. qui docet neque prædicamenta accidentium, neque substantiam ipsam proprie Deo conuenire, quibus videtur Deum excludere à prædicamento substantie. Sed clarissime prædictam sententiam amplectuntur. Albertus in eadem d. art. 32. Bonauent. 1. q. 4. Ricardus art. 4. q. 2. Argent. q. 1. art. Egidius artic. 1. 3. Scot. q. 3. *Teneo opinionem meam.* Bassolis. q. 4. Capreol. q. 2. art. 1. concl. 5. & 6. Durand. in 2. d. 3. quæst. 1. num. 12. idem Sanctus Thomas, & Ferrariensis 1. contra gent. 25. Denique Ocam in illa distinct. 8. quæst. 1. quamuis putet eam difficile probari.

Variant tamen in confirmatione huius sententiæ. Prima ratio S. Thomæ in hoc articulo est huiusmodi: Species, quæ est in aliquo prædicamento, ita constat genere, & differentia, vt id, à quo sumitur

*Holcot, Gregor. Marfil. Galv.*

*Scotus.*

*Fundamentum huius sententiæ.*

*August.*

*Auctoritatem probabitur.*

*3*

*Ad Eph. 3.*

*S. Thomæ, Caiet., Recentiores, Henricus, Magister.*

*Albert., Bonauent., Ricardus, Argent., Egidius, Scotus, Bassol., Capreol., Durand., Ferrar., Ocam.*

*4 Prima ratio S. Thom.*